



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

Sectio Prima. Ex Divinâ Scripturâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)



TRACTATUS QUARTUS.

Fundamenta Anti-Probabilistarum.

NE benevolam Lectorem proluxa Disputatione fatigem, Adversariorum argumenta N. r. in plures partiar, & quidem maiori, quâ potero, energiâ, eadem afferam, servatis plerumque Adversariorum verbis, ut inde constet non timenda.

DISPUTATIO XIII.

Argumenta ex Autoritate.

SECTIO I.

Ex Divinâ Scripturâ.

§. I.

Celebriores Textus.

SUMMARIUM.

DD. tuentes inane ex Textibus pro re presenti argumentum, n. 2.
 Dictum Gersonis, ibid.
 Equales pro utraq; parte Textus, ibid.
 Dividuntur Adversarij in Tutioristas Rigidos, & in Non-Rigidos, & in Probabilioristas, & exponuntur, n. 3.
 In quo convenient, & differant? Ibid.
 Antiqui quid tractarint? Ibid.
 Adversariorum argumenta obligant Tutioristam transire ad Probabilioristas; & Probabilioristam ad Tutioristas, n. 4.
 Primus Textus, Ante omnia verbum verax, &c. n. 5.
 Per verbum verax venit veritas practica, n. 6.
 Secundus, Væ qui dicitis bonum, &c. quo textu Celladei dicit se territum, n. 7.
 Eodem Textu damnantur sapientes in oculis proprijs, & sibi met prudentes, n. 8.
 Tom. II.

Tertius, Arcta est via, n. 9.
 Palanco ait, quod via cuiuscunque in quocumque gradu probabilitatis sit via perditionis, ibid.
 Hoc post Alex. VIII. damnantem non satis probabilitissimam, sustineri nequit, n. 10.
 S. Tho. ait, salutis viam arctari à lege Dei, n. 11.
 Plures damnate ut nimis laxæ, plures ut nimis strictæ, n. 12.
 Non omnis opinio favens libertati, & commode est via lata; nec omnis ea limitans est via stricta, ibid.
 Quid veniat per viam latam, & quid per strictam? Ibid.
 Si aliqua est laxa, est laxa ut probabilior, ibid.
 Libertas à solâ certâ lege arctatur, non à lege dubiâ, ibid.
 Palanco ait, quod plerumque ex minus probabilibus minus turis sint potius falsæ, quam veræ, n. 13.
 Ostendo oppositum, à n. 13. ad 15.



CERTUM mihi ex P. Terillo N. 2. de Reg. Mor. qu. 6. n. 16. & qu. P. Terillo. 9. P. Esp. in Appen. ab art. P. Esp. 14. ad 17. quin ex P. Muncif. P. Muncif. 6. n. 16. tot ex Divinâ Scripturâ, ex jure Canonico, & Civili, & SS. PP. textus nos posse contra Adversarios allega-

Z

allegare, quot illi contra nos: etenim Scriptura, & PP. æque damnant, qui nimis stringunt, ac qui nimis laxant; hinc qui ex sacrâ authoritate textus congerunt, & se mutuo redarguunt, inaniter arguunt, eum totidem textibus redargui possint. Quare icirò Joan. Getf. Tit. de Superbia, citatus à P. Muniel. n. 18. dixit: *Ambulandum in virtutis doctrinâ viâ regîâ, ut nec strictius fiat mādātū Dei, nec laxius.*

Joan.
Getf.

N. 3.

Certum quoque Adversarios in tres classes dividi. Prima est Tutoristarum Rigidorum obligantium semper ad tutiorem, etsi non probabilem, ita ut numquam sequi liceat minus tutam, etsi probabilissimam: hi autem post Alex. VIII. damnantem, *Non satis esse probabilissimam*, audiendi amplius non sunt. Secunda est Tutoristarum Non-Rigidorum, obligantium semper ad tutiorem, dummodo probabilem, ita ut numquam sequi liceat minus tutam, etsi longè probabiliozem. Tertia est Probabilioristarum, qui obligant semper ad probabiliorem, ita ut numquam sequi liceat minus tutam minus probabilem. Porro etsi omnes tres classes dici possint inter se convenire in hoc, quod omnes opponantur Probabilitatis, & sint Anti-Probabilitatis, (revera tamen, ut infra dicam, non sunt, nam Antiqui, sive Tutoristæ, sive Probabilioristæ, unice tractarunt questionem, an tutius semper sequendum sit, an verò liceat probabilis; nostram autem questionem non tractarunt, adeoque Anti-Probabilitatis non sunt) negando licitum sequi minus tutam minus probabilem; attamen inter se quoque opponuntur: nam Tutoristæ Rigidi obligant semper ad tutiorem, etsi non probabilem: Non-Rigidi autem obligant semper ad tutiorem, dummodo probabilem; Probabilioristæ tandem non obligant ad tutiorem, nisi sit probabilior; quod si minus tuta sit probabilior, concedunt licitum hanc sequi, quin etiam concedunt licitum sequi tutiorem minus probabilem, & unice negant licitum sequi minus tutam minus probabilem.

Alex.
VIII.

N. 4.

Hac divisione præ oculis posita, plana illico fit argumentorum, sive ex autoritate, sive ex rationibus, imbecillitas: etenim talibus textibus, & argumentis Adversarij nos impetunt, ut Probabilioristæ ad castra Tutoristarum Non-Rigidorum; & hi ad Rigidorum transire cogantur, ut patebit ex reteritione argumentorum, quæ à suis Patronis solvi nequeant, nisi propria castra deserant, ita ut Probabiliorista fiat Tutorista Non-Rigidus; & Non-Rigidus, Rigidus fiat. Quod sanè evidens signum est argumenta insigni infirmitate laborare.

En Textus celebriores. Primus ex Eccl. 32. *Ante omnia verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile: ita opinio probabilis, nec vera, nec certa, nec utilis est; ergo nequit esse morum regula. Ita Erag. nan. Mercor. Palanc. Riccius, & alij passim.*

Sed contra; quia eo probatur ignorantiam invincibilem non excusare, & probabilitiam, si falsa sit, non esse satis, & solum veritatem logicam esse regulam morum; ergo per verbum *verax*, non venit necessario nisi veritas practica, quæ inest cuicunque opinioni certo probabili, & eo ipso quod talis sit, est certa certitudine prudentiali excludente omne peccatum formale; & est stabilitas stabilitate sui cum principijs morum. Alter P. Carden. tom. 3. d. 56. cap. 19.

Secundus, quo P. Eliz. lib. 1. §. 4. pag. 3. dicit se territum, & in viam revocatum, est ex cap. 5. Isaia: *Va qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum; sed hoc faciunt Probabilitas; ergo.*

Sed contra; quia nihil magis contra P. Eliz. imò omnes Anti-Probabilitas, quam Isaia textus: tum quia illud *va* Deus æque minatur in dicentes malum bonum, & tenebras lucem, ac in dicentes bonum malum, & lucem tenebras: tum quia Isaia immediate subdit: *Va qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Ecce quibus Deus utrumque itum vè minatur, nempe in eos, qui in oculis suis sapientes sunt, & sibi metipsis prudentes. Quinam autem sunt, nisi qui ita omnem suam opinionem semper judicant sibi probabiliorem, & speculative veram, ut omnis opposita sit illis non tantum falsa, sed non probabilis? qui ita omnes DD. suæ opinioni adherentes laudant ut sapientes, ut omnes DD. opinionem oppositam tuentes detestantur ab ipsam tamquam non sapientes, & nullius autoritatis? Hi sanè in oculis suis sapientes, & sibi met prudentes sunt. E contra Probabilistæ, qui ita propriae adherent, ut oppositam sepe laudent, ut certo probabilem, & ejus DD. commendent, ut sapientes, immunes profus ab omni vè sunt.

Tertius est ex cap. 7. S. Math. in quo Christus D. clamat, quod arcta sit via, & angusta sit porta, quæ ducit ad vitam, & pauci sint, qui ingrediuntur per eam: ergo cum via maioris, aut minoris probabilitatis, (ait Palanc. q. 29. n. 10.) imò *cujuscumque in quo cumque gradu probabilitatis*, (ait n. 29. & 27.) N. sit via lata, non est via vitæ, sed perditionis.

Sed contra 1. quia miror quomodo post Alex. VIII. definitentem satis esse probabilitiam,

firmam, ausus sit scribere, quod via eujus-
cumque in quocumque gradu probabilitatis
fit via ad perditionem. Immo cum ipse sit
Probabiliorista, textus est ab eo solvendus;
Palanc. & præterea sibi contradicit, quia expresse
docet, licitum sequi minus tutam probabi-
liorem. Præterea cum nulla minus probabi-
lis sit, quæ non sit suis Patronis probabilior;&
nulla probabilior sit, quæ oppositis DD. non
fit minus probabilis, consequenter omnis, et si
probabilior, erit via perditionis.

Contra 2. quia S. Thom. explicans eum
textum exponit qualiter via fit arcta; ait
enim: *Hæc est arcta lege Divina, & per hæc
debemus intrare secundum legem, & præcepta.*
Ecce, juxta S. Thom. via vitæ est arcta, quia
à Dei lege coarctatur; quis enim neget hu-
manam libertatem, & duplicem hominum
passionem, nempe irascibilem, & concupis-
cibilem, à decem Decalogi præceptis fra-
nari? que quia à paucis implentur, non
mirum, si pauci per salutis viam gradian-
tur. Hinc ineptè obtruditur contra nos
dictus textus, quasi vero, antequam à T. T.
accuratè licitus usus certæ probabilitatis ex-
aminaretur, irrefragabilis veritas non ef-
set, quod via vitæ sit arcta, & via per-
ditionis sit lata: ergo ineptè dicitur, quod
certæ probabilitatis usus sit via lata. Si enim,
juxta Palanco, per probabilioritatem licita
sunt plura, quæ fortè in re sunt à Deo veri-
ta, nec inde arguere nobis in eum licet, quod
Probabiliorismus sit via perditionis: ita quo-
que, quia per certam probabilitatem plura
sunt licita, quæ fortè in re sunt à Deo veri-
ta, non licet illi in nos arguere, quod Pro-
babiliorismus sit via perditionis.

Contra 3. quia cum evidenter constet plu-
res, tam ex laxis, quam ex severis opinionibus
ab Ecclesiâ damnatas, tatis enim est me-
minisse opinionum, quas Severiani in Eccle-
siâ exordio inducere, vetantes sub mortali
omnem rei animatæ etum; quin satis erit me-
minisse Baianorum damnantium de mortali
omnia opera Infidelium; & Jansenistarum
negantium, quod invincibilis ignorantia excu-
set, & affirmantium, quod homo sine liber-
tate indifferentiæ peccet: hinc evidenter se-
quitur, nec omnem latam esse viam perdi-
tionis, nec omnem strictam esse viam vitæ:
ergo per viam arctam venire non potest om-
nis opinio vetans, quidquid humanæ liber-
tati, commodo, & honori favet; nec per viam
latam omnis benigna dictæ libertati, & com-
modo favens: sed per viam arctam venit via
à certis Dei, & hominum præceptis, & le-
gibus coarctata; & per viam latam via à di-
ctis legibus non cohibita: ergo cum via pro-
babilior sit via perditionis.

habilitatis sit arcta per certam Dei, & homi-
num legem, non est via perditionis. Addo,
ut sæpe dixi, quod si qua opinio probabilis
est laxa, laxa est, ut suis Patronis probabi-
lior. Quod vero via probabilitatis (quod idè
dicere possum de via probabilioritatis) non
sit arcta à lege dubia, & incertâ, immò pru-
denter negatâ, non ideo est via perditionis;
tantò magis quod est semper reflexè arcta,
quatenus datur lex reflexa certa vetans sequi
omnem opinionem, quæ non sit certò pro-
babilis; nulla enim est certò probabilis, quo-
ties ei opposita est certa: immò, juxta nos,
ut opinio sit certò probabilis, non satis est,
ut nil certum contra se habeat, ut vult Ca-
ram. à nobis rejectus, sed simul habere de-
bet fundamentum absolutè, & relativè cer-
tò grave.

Dices ex Palanc. 29. 29. n. 32. negari non
posse, quin inter minus probabiles faventes
libertati plerumque ex illis sint potiùs falsæ,
quàm veræ: ergo via illa plerumque errat,
& ducit ad mortem. Sed contra; quia late
ostendi aliud esse veritatem in re, aliud pro-
babilitatem, aut probabilioritatem, adeoque
ex his non tenere illationem ad illam; aliàs
cum utraque cõtradictoria possit mihi simul
esse verisimilis, poterit quoque simul esse ve-
ra, quod implicat. Similiter ostendi à nullâ
maiori, aut minori probabilitate certò posse
inferri veritatem, & falsitatem, nempe quod
probabiliores sint in re veræ, & minus pro-
babiles sint in re falsæ, quin sæpe evenit ut
probabiliora sint in re falsa: ergo falsum
prorsus est, quod plerumque ex minus pro-
babilibus sint in re falsæ. Ad summum ergo in-
ferri potest, quod ea, quæ alicui est proba-
bilior, ea sit ejus judicio verior; & quæ est
minus probabilis, sit ejus judicio minus ve-
rosimilis: an autem in re ita sit, quod ea ei
probabilior sit vera in re; & ea ei minus pro-
babilis sit falsa in re, hoc prorsus nescit.

Quare si queratur 1. an inter probabiles
plures sint probabiliores, an minus probabi-
les: Dico planum esse tot esse probabiliores,
quot minus probabiles, & contra; nam ex
contradictorijs tot sunt contradicentes, quot
contradictæ. Si queratur 2. an inter proba-
biliores plures sint in re veræ, quàm falsæ;
& inter minus probabiles plures sint in re
falsæ, quàm veræ: Dico nil certi de hoc di-
ci posse; nam ex probabilitate non infer-
tur certò veritas, nec ex minori certò falsi-
tas; immò cum nulla sit probabilior, quæ
non sit oppositis DD. minus probabilis; &
nulla sit minus probabilis, quæ non sit oppo-
sitis DD. probabilior, eadem opinio ut pro-
babilior erit in re vera; & ut minus proba-
bilis



bilis erit in re falsa, quod implicat: ergo falsi profus est quod pleraque ex probabilioribus sint in re veræ, & ex minus probabilibus pleraque sint in re falsa, & gratis oppositum assumitur à Palanco confundendo minorem probabilitatem cum falsitate in re, & maiorem cum veritate in re. Quare quæsitum illud in genere, an plures ex magis probabilibus sint in re veræ, & ex minus, sint in re falsa, est profus importunum, & quicquid dicatur, divinando, immò chimericando dicitur. Ad summum ergo quæsitum illud fieri potest limitatè ad intellectum opinantis; an ex mihi probabilioribus pleraque sint veræ, & minus mihi probabilibus pleraque sint falsæ? Tunc autem dico, omnes mihi probabiliores videri mihi veras; an autem in re ita sit, nescio; & omnes mihi minus probabiles videri mihi minus veras; an autem in re sint falsæ, nescio; & solus ille hoc scire potest, qui maiorem verosimilitudinem cum veritate in re, & minorem cum falsitate in re confundit.

N.
15.

Hinc ea propositio, *Pleraque ex probabilioribus sunt vera, & ex minus probabilibus sunt falsa*, neganda est; quia vel sermo est de mihi probabilioribus; & tunc omnes videntur mihi in re veræ, & omnes minus probabiles videntur mihi in re falsa; quid autem in re sint, ego ignoro: vel sermo est de probabilioribus in genere: & tunc cum nulla sit probabilior, quæ non sit alijs minus probabilis; & nulla minus probabilis, quæ non sit alijs probabilior, consequenter tot videntur veræ ex probabilioribus, quot ex minus probabilibus; & tot ex illis falsæ, quot ex istis: immò respectu mei, qui earum probabilitatis gradum non discussi, video tamen hoc inde à pluribus magni nominis T. T. omnes doceri, & gravibus rationibus niti, ideo omnes mihi sunt certò probabiles; adeoque certò judico omnes verosimiles, etsi una tantum ex contradictorijs sit in re vera, quænam autem sit, nescio.

§. II.

Alij Divina Pagina Textus.

SUMMARIUM.

Quartus, Omnia probate &c. retorqueatur, & explicatur, n. 16.

Quintus ex amore Dei super omnia, n. 17.

Ad quid obliget hoc præceptum, & ad quid non obliget? n. 18.

Non obligat ne materialiter, sed ne formaliter peccem, ibid.

Implicat, ut sub prudenti iudicio de non peccato

materiali peccem formaliter, ibid.

Sextus, quia Divina legi nihil addi, aut tolli potest, n. 19.

Mensura scientie Theologo, & Confessori, juxta Celladæi, necessaria, ibid.

Retorqueo: nulli Theologo sciri poterit, n. 20.

Satis ut T. T. & Confessores in re hinc inde dubitè dicant certò probabiliter verum, n. 21.

Sicut non in omni materia fidei inter T. T. controversa recurritur semper ad Papam, ita nec in omni morum, n. 22.

Plerique Adversarij docent, liberum in speculative sequi, quam quis putat veram, ibid.

Postquam pia sententia de non labe Deipara in Scholis rationibus invertea fuit, apparere ut inde plures pro eadem textus, n. 23.

Rejicio Adversarios dicentes, Probabilissimum sine textibus esse, ibid.

Quartus est ex 1. ad Thesal. ubi dicitur: *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie malæ abstinete vos*: sed sequens minus probabilem contra legem non abstinete à maiori specie falsi, & mali: ergo. Sed contra; quia hoc probat nec probabilissimam tantem contra legem satis esse, quia si sit in re falsa, ut esse potest, habet aliquam falsi, & mali speciem, quia cognoscitur, quod esse possit contra legem, cum cognoscatur ut minus tuta. Nulla ergo opinio, nisi evidenter ipeculativè vera sit, licebit. Quare Apostolus unice vult, ut abstinemus ab omni certò falso, & formaliter malo: sed omne, quod certò prouidetur iudicatur non esse formaliter malum, (etsi in sensu diuino iudicari prudentius posset esse formaliter malum, & falsum) non est certò malum, nec falsum, quin est certò prudenter bonum, & verum: ergo &c.

Quintus est: quia utrumque Testamentum iteratò præcipit custodiendam veram Dei legem, & Deum super omnia ex tota anima, totà mente, toto corde diligendum: sed sequens minus probabilem pro non lege, hoc non facit, quin se exponit periculo probabiliori violandi Dei legem, & magis amat aliquod proprium bonum, quàm infinitam Dei bonitatem: ergo.

Sed contra: quia hoc probat solam statem pro lege, etsi non probabilem, sequentem, nam omnis eò ipso quod est minus tuta, est contra legem, etsi probabilissima sit; ergo eam sequens non custodit veram Dei legem, nec amat Deum super omnia, quin se exponit periculo violandi materialiter Dei legem, si fortè datur. Deinde restringendo me ad substantiam præcepti amandi Deum super omnia, & præscindendo modo à maiori,

maiori, aut minori perfectione actuum intra eandem lineam amoris Dei, dico, quod illud præceptum amandi Deum ex toto corde, allegatum à Divinâ Scripturâ immediate post certam legem suam à Deo tunc promulgatam, obligat, ut Dei legem custodiam, ut meâ mente Deum exercite omnibus præferam, & meo corde præciligam potius omni bono carere, quam Deo. Obligor itaque ad hoc ut nullum certum, aut dubium (dubio non deposito) Dei mandatum transgrediar formaliter, nec ulli periculo transgressionis formalis me exponam: non autem obligor, ne materialiter violem incertam Dei legem à me prudenter negatam: sed sequens minus probabilem pro non lege, nulli violationis formalis periculo se exponit, nec ullam Dei legem formaliter violat, quin stante iudicio prudenti de non lege, implieat, ut periculo violationis formalis se exponat: ergo. Totum hoc argumentum oritur, quia confunditur probabilitas simultatis, quæ repugnat, cum similitate probabilis, quæ non repugnat.

Sextus est ex P. Eliaz. 2. part. lib. 6. pag. 330. qui post taxatam à se scientiâ menturam Confessori, & Theologo necessariam, nempe quod teneatur plerumque nosse verum, & docere, recitat prolixum textum, in quo Deus præcipit, ut quoties ferri non potest nisi ambiguum iudicium, adeundus sit Sacerdos synagogæ Præses, & ab eo iudicium veritatis petendum, eique standum, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinandum. Ecce 1. ait P. Eliaz. legi Dei nil addi, nec tolli potest: ergo non licet Probabilissimus in utraq; partem pro libito declinans. Ecce 2. quod Deus iubeat, ut certum feratur de veritate iudicium, si ferri potest; quod si ferri non possit, adeundus Summus Pontifex, sicut adeundus erat synagogæ Pontifex. Ecce 3. T. T. & Confessores itatutos à Deo, ut regulas visibiles, & ut iudicent juxta Dei legem; hoc autem fieri nequit, nisi ferri semper agnoscant Dei legem.

Sed contra 1. quia hoc probat nullum errorem invincibilem excusare, nec ullam moralem certitudinem ad rectè operandum satis esse; si enim qualibet contradictoria sit suo Patrono moraliter certa, uterque, juxta omnes, excusatur à peccato, cum tamen una tantum ex illis sit vera. Rursus probat nulli opinioni stari posse, quoties pro opposita dantur graves DD. & solidæ rationes, nam si plerumque dicunt verum stantes pro affirmativâ, eo ipso eorum iudicio plerumque falsum dicunt stantes pro negativâ; & econtra, si stantes pro negativâ plerumque

suo iudicio verum dicunt, eo ipso eorundem iudicio falsum plerumque dicunt stantes pro affirmativâ: ergo nulli Thomistæ, & nulli Scotistæ, quoties sibi contradicunt, stari poterit, quæa dici nequit.

Contra 2. quia in rebus dubijs satis est, ut T. T. & Confessores dicant certo probabiliter verum, ad hoc enim obligantur, non autem obligantur, ut in re incerta dicant certo veritatem.

Contra 3. quia si non in omni fidei materia recurritur temper ad Papam, quis enim instituit Pontifici, ut declararet, an Christus D. venisset Adâ non peccante; an dentur virtutes morales infusæ supernaturales; an in Deo præter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis detur media inter easdem; an actus indifferentes in individuo, in quibus T. T. propriam suam sententiam ex Scripturâ, & P. P. deducunt; quis, inquam, Papam instituit, ut eas definiret? quin in his, fatentibus ipsis Anti-Probabilistis, M. Merc. M. Baro, M. Gonc. Philal. Fagnan. & alijs, liberum cuique est sequi, quam putat veram, etsi ea in re non sit vera: ergo neque in omni causâ morum ad Papam recurrendum, etsi enim Papa eas omnes definire possit, immò hodie cum summo Republicæ Christianæ proventu plures reprobarant, non tamen solent Pontifices omnes casus morales definire. Satis ergo in his ad Magistros, & Confessores prudentes recurrere, qui persistente post serium veri examen in suo incertitudinis statu veritate, & ponderatis utriusque opinionis motivis, jus ferant juxta rationem certò solidam, & gravem: etenim quotquot ex prudenti motivo sequuntur aliquam opinionem, dicunt semper practicè verum, cito veritas speculativa sit incerta.

Abstinco ab alijs textibus, quos plenâ manu adducunt Merend. Fagnan. P. Eliaz. Foggar. Palanc. Riccius, & alijs, quorum aliqui, nempe Palanco n. 111. & Riccius ad finem lib. 3. de Act. Hum. cap. 2. P. Eliaz. ausi sunt scribere, Probabilistas à sua scientiâ exordio, nullo Scripturæ, & Patrum textu usos fuisse, sed superficiali examine Probabilissimum introduxisse: econtra Tutioritas, & Probabilioritas ab initio nixos SS. PP. & Scripturæ. Abstinco, inquam, tum quia si quid probant textus à dictis DD. citati, probant nullam ignorantiam excusare, nullam probabilitatem satis esse, solam veritatem esse morum regulam, & evidentiam semper necessariam: tum quia Probabilistas etiam complures textus trahunt; immò etsi nullum traherent, non ideo Probabilissimus ob hoc malè excipiendus est; aliàs omnis opinio

N. 21.

N. 22.

M. Mer. M. Bar. M. Gonc. Philal. Fagn.

N.

23. Merend. Fagn. P. Eliaz. Foggar. Palanc. Riccius.

Theologica, quia plerumque non textibus, sed rationibus fundatur, abolenda erit. Quod scio est, hos textus, *Omnes filij ira, omnes in Adam peccarunt, omnes in eo mortui sunt*, olim antiam dedisse negandi Deiparam sine labe conceptam: at, ut pissima sententia itans pro non labe Deipare, rationibus septa in Scholas inuenta fuit, apparuere deinde textus, antiquioribus T.T. obscuri; posterioribus tamen T.T. clarissimi pro eâ pia opinione: ergo etfi ab initio Probabilissimus, sine textibus, totis munitus rationibus in Scholas inuentus fuerit, attamen deinde auctoritate Scripturæ, Canonum, Patrum, Pontificum munitus quotidie prodit.

SECTIO II.

Argumenta Adversariorum citatis textibus nixa.

§. I.

Aliqua.

SUMMARIUM.

Quia qui non vult servare, nisi leges certas, & præfert assentiri magis sibi falso, Deum non amat, n. 24.
Dei amor non obligat nisi ad leges certas, n. 25.
Paritates physica quam extra rem, & transitur à speculativa ad practicam probabilitatem, n. 26. & 27.
Nego, quod sequens minus probabilem nequeat formare nisi conscientiam dubiam, n. 28. & 29.
Cur operans cum dubio peccet? n. 30.
Discrimen inter operantem cum dubio ab operante sub minus probabili, n. 31.
Explico qualiter sequens minus probabilem attendat, etsi non assentiat, motibus probabiliori, n. 32-33.
Confundunt similitudinem probabilitatis objectivam cum formali, ibid.
Cur in humanis consilium plurimum præferendum, n. 34.
Quam invalida paritates physica, & corporee translate ad res morales, & spirituales, n. 35.
Victoria à Ducis opinione non obtinetur; e contra Dei gloria per probabilem obtinetur, ibid.
Lex charitatis non obligat vitare peccatum materiale prudenter negatum, à n. 36.
Licet probabilis judicari posset illud dari, tunc tamen judicatur prudenter non dari, n. 38.
Paritas charitatis humane nulla, n. 39.
In omni materia, in qua iudicium statum rei physicum non mutat, tutior sequenda, ibid.

Sequens minus probabilem, nulli periculo peccati se exponit, quin illud negat, n. 40.

Ut formaliter peccem, non satis ut materialiter peccem, n. 41.

Lex non est, ne quis negans prudenter peccatum materiale ei se exponat, sed est, ne quis affirmans illud, ei se exponat, ibid.

An liceat exponere se occasione proxima? ibid.

Qualiter certo probabilis est exclusio peccati materialis, n. 42.

Non do pro regulâ Non-Certum, sed certo probabile, n. 43.

Quid veret Dei charitas? ibid.

Pessima illationes deductæ ex transitu speculativæ probabilitatis ad practicam, n. 44.

Nulla illatio ne quidem à maiori speculativæ probabilitate ad minorem practicam, ibid.

Primum est: Qui unicè vult servare certas Dei leges, non autem incertas, quas probabilius, & prudentius judicare potest potius dari, quam non dari, non amat pro toto posse suo Dei legem: similiter qui eligit opus, quod prudentius judicare potest illicitum, quam licitum, non amat ex toto corde Deum: demum qui mavult assentiri magis sibi falso, quam vero, potens assentiri magis sibi vero, & minus sibi falso, non præfert ex totâ mente suâ veram Dei legem: sed sequens minus probabilem contra legem, omniâ probabiliori pro lege, hoc facit, ergo. Ita Palanco qu. 29. Riccius l.c. & alij.

Nego maiorem quoad omnes partes probandum enim est, quod tamen nunquam probatur, quod detur certa lex obligas neque omnes leges Dei incertas observem: sed omnis lex, cujus existentia est ita probabilior, ut simul sit certò probabilis ejus non existentia, est semper incerta: ergo ad illas nullâ lege teneor. Quod autem dicitur de totâ mente, toto corde, toto posse, & viribus, nos non lædit; dixi enim nos obligari, ut ex totâ animâ, mente, corde, viribus servemus leges Dei certas, immò & dubias, si dubium non deponatur. Hinc autem non inferitur, quod quidquid anima, cor, & voluntas facere possunt, cadant sub præceptum; aliâs vix nobis, si omne periculis numerum cujusque nostræ potentia caderet sub præceptum.

Dices: Qui sumit potum, quem probabilius judicare potest noxium, non custodit ex totâ animâ salutem: ergo neque custodit ex toto corde Dei legem, qui ponit opus, quod judicare prudentius potest esse illicitum.

Sed contra; quia paritas potus impertinenter rebus moralibus applicatur, ut sæpe dixi,